

Juristische Abhandlungen, Dissertationen, Verfügungen,  
Bekanntmachungen u. dergle.

1. de pictura contumeliosa disp. inaug. Erlangen 1787
2. miscellanea juris 1789.
3. Revidirte Einrichtung der im Jahre 1765 errichteten  
Hamburgischen Gesellschaft zur Beförderung der Künste  
und nützlichen Gewerbe vom 24 Septbr. 1789, publicirt 1789.
4. Nachricht von der Verfassung der Gesellschaft zur Rettung  
Bestimmter in ihrem Gewerbe zurückgekommener Bürger. Berlin 1796.
5. Bekanntmachung, die Sicherheitspolizei in Leipzig betiffend.  
Leipzig 1810.
6. Cour de justice criminelle spéciale de la Seine à Paris.
7. de crimine stellionatus dissert. Lipsiae 1770. No 360) Q.  
verk.

Wd. 36.

13



AD LEGEM JULIAM

DE ADULTERIIS COERCENDIS,  
DEQUE PUDICITIA  
*DISPUTATIO INAUGURALIS*

HABITA A CLARISSIMO ANTECESSORE

D. PETRO GEORGIO  
DE BIFFIGNANDIS

CUM

IN R. MANTUÆ ATHÆNEO


JOANNES  
MARANGONT

IN JURE LICENTIATUS

PRONUNCIARETUR.



MANTUÆ, MDCCLXXXIX.



TYPIS HEREDIS ALBERTI PAZZONI,  
REGIO-DUCALIS TYPOGRAPHI.

( *Superiorum Permissu.* )



73






3

AMPLISSIMO VIRO  
D. JOANNI GHERARDO  
COMITI AB ARCO

ET S. R. I. DOMINOQUE PÆNEDARUM,  
NACI, TURBULARUM,  
ET CASTRORUM, DRENÆ, RESTAURI, SPINARUM,  
CASTELLINO, &c.  
COMITI CHIEPPIO, ET MARCHIONI ARDIZZONIO,  
CÆSAREO INTIMO CUBICULARIO,  
MANTUANÆ REGIÆ ACADEMIÆ SCIENTIARUM,  
BONARUMQUE ARTIUM PRÆFECTO  
ET REI LITERARIÆ, AC POLITICÆ  
IN MANTUANA PROVINCIA  
MODERATORI, AC PRÆSIDI, &c.



JOANNES MARANGONI.

**M**ulta sunt, & præclara in Te, Vir Amplissime;  
quæ ut me jamdiu in admirationem rapiabant Tui, ita  
me maxime permovebant, ut si qua in re possem ali-  
quod observantiæ, devotionisque erga Te meæ testimo-  
nium

a 2

nium

nium palam offerrem; cum tandem Te Præsente, Te Auspice ad Juris, ut ajunt, Licentiam in hoc Regio Mantuano Gymnasio sum inauguratus, Don Petro Georgio de Biffignandis Clarissimo Juris Civilis, & Criminalis Antecessore in Legem Juliam de Adulteriis coercendis, deque Pudicitia servanda elucubrationem habente: quæcum, sicut cætera ejusdem Auctoris omnia, ea fuerit eruditione, perspicuitate, stylo, ut omnes qui aderant, suavissima tenuerit, Tibi præsertim eo extitisse jucundio rem novi, quo pro tua sapientia rem penitus, de qua agebatur, cognoscebas. Hanc ego typis evulgandam obtinui; qua re eo fui etiam letior, quod mihi jamdiu peroptanti sese obtulerit occasio mea erga Te voluntatis publice testificandæ. Quod si hæc mihi causa non fuisset hujus tibi dicandi Commentarii; ea sunt in Te, quæ jure quodam suo sibi illum videbantur postulare. Nec vero putes me hic enumeraturum, quæ in deligendis Librorum patronis spectari ut plurimum solent: non enim ego hic loquor de tui generis amplitudine, quæ quidem tanta est, ut a remotissimis usque temporibus a Bavaria Principibus derivetur; non de egregia illa doctrina, & eruditione, quam scripta nobis tua æternis typorum monumentis tradita testatam faciunt; non de illo studio, quo mirifice flagras, Scientiarum, Bonarumque Artium omnium in hac Tua Patria clarissima amplificandarum; non denique de summa illa benevolentia, qua cunctos fovere soles, & complecti, qui aut Literarum cultu, aut quacumque ratio-

ne

ne utiles sese Patriæ Cives reddere contendunt. Hæc, quæ alioquin Te non minus, quam antiquum Mæcenazem illum dignissimum prædicant, cui Doctorum hominum scripta consecrentur, non ea sunt, ob quæ præsertim hunc nostri Antecessoris libellum Tibi deberi putem. De vi, ac severitate hic agitur, qua Leges nefarium Adulterii scelus puniendum censent, deque Pudicitia servanda, quo nullum est argumentum gravius, nullum, quod propius attingat civium mores, connubiorum Sanctimoniam, familiarum pacem, totiusque rei publicæ tranquillitatem; quid igitur erat æquius, quam ut, si quando prodire in lucem libellus ejusmodi deberet, nomini potissimum, & patrocinio ejus commendaretur, cui præter honorificentissimas in re literaria Præfecturas, ea etiam regio est imperio delata, ut in Urbe, universaque Provincia hæc nostra rebus Politicis præsesset, morumque propterea Censor, Custos, Vindex esset? Quam provinciam sane gravem, ac difficilem ita, Vir Amplissime, sustines, ut ad eam non modo summam animi vigilantiam, consiliique plane admirabilem prudentiam, verum etiam gravitatem morum, pietatem, religionem eam adferas, qua omnis servandi officii exemplar in Te ipso exhibes ad imitandum præclarissimum. Quid in Te ipso dico? An quis in ipsos tuos domesticas parietes paullo diligentius introspiciat, quin virtutum tamquam diversorium omnium admiretur? Quid enim in spectatissima Uxore Tua Methilde præstantius? Utrum Clarissimum Canossiorum, unde profecta est,

genus, an pietas, an mira animi constantia, an illa qua movetur in miseros incredibilis misericordia, an cetera ornamenta omnia, quibus cunctorum animos ad eam colendam, diligendamque mirifice rapit? In Filio vero quid non ejusmodi Parentibus dignissimum? Quanta in Nuru nobilissima morum suavitas? Quam excellens virtutum omnium comitatus? Quorum quidem laudes, dum commemoro, ea dico, quae pariter me maxime impulerunt, ut hunc Tibi libellum dicandum putarem; neque enim oporteret ei de Pudicitia, deque omni officio servando commentarium consecrari, qui, etsi ipse esset officiorum omnium observantissimus, familiam tamen non haberet optime constitutam.

Hanc igitur animi erga Te mei testificationem benigne, ut cetera, quae sunt ejusmodi, velis excipere, atque ut Elucubrationem, quam Tibi offero, sic me, resque meas omnes in patrocinium Tuum recipias precor.


AD





# AD LEGEM JULIAM

DE ADULTERIIS, ET PUDICITIA



*DISPUTATIO*

INAUGURALIS:



**P**ræcipuum, Vir Amplissime, Fœminarum decus, ac Societatis columen Pudicitia, publice interest, ut intacta servetur. Quamdiu enim apud Romanos nihil sanctius pudore fuit; diu stetit, viguitque Respublica. At cum priscae morum severitati successit Luxus, & per luxum Libido; hæc flamma, ac pestis infecit Nuptias, fœdavit Urbem; indeque Romani Imperii dignitas tot ante triumphis decorata; post innumera trophæa, post Orbem subactum, non hostium telis, non vi, sed tam nefario scelere labefactata, ac corrupta misere tandem procubuit (1). Ab

a 4

hoc

---

(1) De veteri Romanorum severitate in Pudicitia vindicanda videatur Valerius M. *memora. lib. 6. cap. 1.*

hoc unico fonte tamquam ab Equo Trojano tot mala in Patriam irrepsisse scribit Horatius Lib. III. Od. VI.

*Fœcunda culpæ sæcula, Nuptias  
Primum inquinavere, & genus, & domos;  
Hoc fonte derivata clades  
In Patriam, populumque fluxit.*

Cum Horatio convenit Juvenalis, qui Sat. VI. mærens, lugens sic ait.

*Nunc patimur longæ pacis mala; sævior armis  
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur Orbem.*

Armaverat quidem Romulus limen cubilis vindice gladio, ne ab adulteris macularetur; eamque ob rem non sine consilio etiam jusserat, ut Mulieres a mero abstinerent, cum proximus sit a vino ad Venerem gradus (1). Veruntamen temporis lapsu traductis in Urbem peregrinis moribus tam saluberrimæ Leges conticuere; & Pudicitia jam fracta tandem ad Superos indignata recessit. Jam Conjux conjugii nullam servabat fidem; Hinc Bacchanalia obscæna; illinc inverecundi Circenses ludi: omnia ex Platonis lege communia (2). Nihil erat tam turpe, quod non vide-

---

(1) HOFFMAN. *ad L. Jul. de adul. cap. 1. §. 7. cap. 5. §. 4.* SIGON. *de jur. Civ. Rom. cap. 9.* GELLIUS *lib. 10. cap. 13.* VALER. *M. lib. 2. §. 4.*

(2) EPICETUS *apud STOBÆUM Serm. 38.* BINKERSHOEK *de cult. Relig. peregrin. diser. 2.*

dēretur honestum. Jam omnia inquinata; omnia divina, humanaque jura neglecta penitus, ac prostrata jacebant. Vicerat pudorem libido; rationem amentia; vim Deorum, hominumque famam audacia. Ut ergo Augustus hanc teterrimam Reipublicæ labem ab Ædibus, ab Urbe, a toto demum Imperio eliminaret; celebrem illam Legem tulit Pudicitiaē vindicem, quæ dicitur *Lex Julia de Adulteriiis coërcendis* (1). Hanc legem, quæ non modo adulteria, sed etiam cætera damnatæ Veneris flagitia coerces, postea senescentem sequiores Augusti renovarunt. Dicam ergo, si me, ut vos oro, benigne audieritis, quid potissimum hac Lege cautum sit. Neque enim omnia brevi Oratione complecti possunt.

Lex Julia præcipue maritalis Pudicitiaē curam suscepit, eosque acerrime minitata est, qui temere sacra connubiorum jura violarent. Spreta enim conjugii fide, ubi erit maritalis concordia, & amor; si mulier lascivendo cum aliis meretricium offert scelus? Aut qua fronte ab uxore pudicitiam Vir exiget, quam impudice vivendo non præstat? (2) Exas-

a 5 pe-

---

(1) Lex Julia non ut quidam existimant a Julio Cæsare, sed ab Octavio Augusto lata fuit, qui Testamento Avunculi adoptatus ejus nomen tulit. L. 1. ad L. Jul. de adul. SVE-  
TON. in vita Augusti.

(2) L. 13. §. 5. ad L. Jul. de adul.



perantur animi; turbatur domestica quies; imminet exitio vir conjugis, illa mariti; aliena proles domi obtruditur; Civitas in seditiones, & tumultus distrahitur; quandoque etiam non sine maximo Reipublicæ luctu publice ad cedes, ad arma deventum est, ut satis Historiæ docent.

*Nam fuit ante Helenam mulier teterrima belli  
Causa, sed ignotis perierunt moribus illi;  
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum  
Viribus editior cedebat, ut in grege Taurus.*

Huc pertinet Adulterii crimen, quod est alieni thori violatio; unde Adulteri alienarum nuptiarum temeratores recte vocantur (1). Jure Canonico de Adulterio tenetur Vir æque, ac Mulier; cum uterque coniugii fidem æque violare videatur (2). At Jure Civili aliter se res habet. Lex enim Julia non Maritorum adulteria vindicat, sed Uxorum tantum impudicitiam coercet; & Maritus, qui proprio relicto conjugio ad liberam accedit, non de adulterio, sed de stupro tenetur; quod etiam Juri Mosaico convenire videtur (3). Aliter enim Sacri Canones, ali-

(1) §. 4. *Inst. de publ. Judic.*

(2) *Can. 4. caus. 32. quæst. 4. Can. 15. 16., & seq. caus. 32. quæst. 5. Can. 5. caus. 32. quæst. 6. cap. 6. X. de Adul. cap. 4. X. de eo qui cogno. consanguin.*

(3) *L. 1. Cod. ad L. Jul. de Adul. L. 6. §. 1. L. 34. §. 1. ff. eod. L. 1. & 2. de Accusat. L. 12. Cod. eod. GELLIUS noctium Attica. lib. 10. cap. 28. LEVIT. cap. 20. vers. 10.*

aliter Leges adulteria persequuntur. Canones Philosophorum more in intimos usque animorum recessus, atque anfractus penetrando vitium omne actionum ab agentis animo metiri, & prout quæque res est, plectere solent. At Leges ea præsertim coercent, quæ sub sensum cadunt, & publicam, privatamve quietem magis perturbant. Jam vero Vir adulter lædit tantum conjugii fidem; at Uxor præter fidem, quam æque violat, contra fas alienam prolem marito alendam subiicit. Quapropter nec mirum, nec absurdum videri debet, ut olim quibusdam Ecclesiæ Patribus; si plus Viro in Uxorem adulteram, quam Uxori in adulterum Virum leges tribuerint (1).

Cum Adulterii crimen apud Romanos publicum haberetur; omnibus accusandi facultas dabatur. Maritus enim, & Pater injuriam propriam; extranei vero publicam Civitatis labem ulciscabantur. Mulieres tantum ab accusatione repellebantur, quamvis de matrimonio suo violato conqueri vellent. Etenim Lex Julia, cum masculis jure mariti accusandi facultatem detulisset, non idem fœminis privilegium detulit; tum quia ex parte Viri non æque gravis injuria videretur; tum ne vel levi suspicione, aut frigusculo sublata domestica pace diuturnis mulierum querelis

a 6

Fora

---

(1) ATHANAS. *Quest. 94. ad Antioch.* LACTANT. *Divin. Institit. cap. 6.* NAZIANZENUS, AMBROSIUS, aliique apud CUJACIUM in *Ennarat. Cod. ad L. Jul. de Adult.*



Fora obstreperent, cum Muliebri genus natura querulum sit, ut omne invalidum. Poterant tamen agere actione injuriarum, & divortium petere ob læsam thori conjugalis fidem (1). Verum ne concordēs nuptiæ in perpetuo discrimine versarentur, neve conjuges paterent livoribus extraneorum; illud postea Jure optimo inductum fuit; ut nec passim, nec omnibus liceret Mulierem publico judicio de Adulterio postulare; sed Marito tantum, Patri, Fratri, Patruo, & Avunculo, quos justus dolor commaculatæ familiæ ad accusandum impellit. Extranei enim ex Constantini Lege arcentur, quibus eripuit alieni thori accusandi facultatem, ne actione famosa facile, ac temere honori matrimonii detraheretur. Experientia siquidem compertum erat, sæpe numero multos dolore repulsæ, non alienæ pudicitie studio falsis calumniis matrimonia defformasse (2). Celeberimum in Historia medii Ævi est factum Cunegundæ Imperatricis, forma simul, & Pudicitia raro exemplo spectatissimæ. Quidam Aulicus, cum eam deperiret, ad stuprum sollicitaverat. Stetit illa, erubuit, & sic effata est.

*Mibi vel tellus optem prius ima debiscat,  
Vel Pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras  
Pal-*

---

(1) L. 1. Cod. ad L. Jul. de Adul. GRAVIN. de leg. §. 86. МАТТНÆИ de Crim. lib. 48. tit. 3. cap. 4. §. 1.  
(2) L. 30. Cod. ad L. Jul. de Adul.

*Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam;  
 Ante pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.  
 Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores  
 Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulcro.*

Ob vulnus recentis injuriæ iracundia percitus improbus Amator coram Henrico I. Imperatore Cune-gundam ejus Conjugem falsa accusatione de adultério criminatur. Excandescit Imperator; conjugem inclamat; crimen obiicit; negat illa. Quid ergo? Per experimentum ignis purganda innocentia est; experimentum ferox, quo temere Deus tentatur, usu tamen, ac legibus barbara illa ætate receptum (1).

In-

---

(1) Media ætate, quam nostri Semibarbaram vocant, maxime in usu erant experimenta quædam, quibus invocato Divino Numine aut Actor accusationem probaret, aut Reus crimen dubium elueret, ut experimentum ignis, ferri candentis, aquæ frigidæ, singulare certamen, aliaque, quæ *Judicia Dei* vocabantur, aliquando etiam *Purgationes vulgares*, quasi a vulgo institutæ. Qui enim de aliquo crimine postulatus erat, alia probatione deficiente cogebatur per leges Dei Judicio innocentiam purgare, puta transeundo nudo pede per vomeres ignitos. Si homo urebatur, intentati criminis nulla defensio supererat. Is enim e Cælo reus judicatus credebatur. Contra si pedem illesus protulisset, a se innocentiam stare hujusmodi prodigio evincebat. Siquidem sibi persuadebant superstitiosi illi homines, Deum innocentia vindicem, si invocaretur, prodigiis veritatem detecturum.

Hoc judiciorum genus antiquissimum est. Etenim Religio-

Indicta est dies; fit undique concursus; pendent animi, tacitque omnes vultus, & ora tenent. Ardent jam

---

gionis causa etiam apud veteres Gentilium Sacerdotes in usu fuisse Virgilius testatur. Lib. II. Eneid.

*Et medium freti pietate per ignem.*

*Cultores multa pressimus vestigia pruna.*

Sed maxime apud Catholicos sæculo septimo, & deinceps hic usus increbuit, apud quos in Judiciis tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus hujusmodi experimenta undique recepta leguntur, & passim tum Principum legibus, tum Conciliorum auctoritate firmata. L.L. Longobard. Allema. & Bavar. Capit. Reg. Franc. Concil. Triburiens. ann. 895. Feud. lib. 11. tit. 39. versic. Non est. Tit. 27. §. 3. versic. Si rusticus. Lib. 5. tit. 2. eod. BECMAN. de Judiciis Dei. DU-CANGE. Glos. in verb. Judicia Dei. Hæc autem coram Ecclesiæ Ministris majori pompa, sacrisque cæremoniis peragebantur, atque omnes obnoxii erant, sive Laici, sive Clerici, sive Monachi, aut Virgines Deo dicatæ. Immo nec Regina ipsæ erant immunes, ut de Cunegunda, aliisque legitur. Quando tamen agebatur de singulari certamine, Ecclesiastici, ac Mulieres [ quod Laicis non licebat, nisi infirmi, & inidonei essent ] per Advocatos, seu substitutos pugnabant, qui *Campiones* vocabantur a Germanica lingua *Campff*, quod sonat certamen. De Gundiberga Rodoaldi Longobardorum Regis uxore scribit Paulus Diaconus, quod cum de violato thero accusaretur, per servum se duello purgavit. Lib. 4. cap. 49. de gestis Longobard. SIGON. de Regn. Ital. ad annum 632. MURATOR. Medii Ævi disert. 38. de Judiciis Dei, & disert. 39. de duello.

Licet ridiculum esset, immo a natura ipsa abhorrens hoc



jam rogi, flammis ad Cœlum rotantibus. Cunegunda venit sereno vultu, quippe rectæ mentis conscia; nec muliebriter expavens ignem oculis ad Cœlum elat.

---

hoc probationis genus, diu tamen apud Catholicos viguit; tum quia ipsi putabant originem derivasse a Moyse ipso, qui foemina in judicio de stupro postulatis quamdam potionem præberi jussit, ut earum innocentia probaretur; tum quia, cum satis superstitiosi essent, facile ac pie credebant mira omnia, de quibus sæpe Historici fabulati sunt. Animadverterat quidem Liutprandus prudentissimus Rex, quam fallax esset, & inconsiderata hæc eruendæ veritatis ratio; sed, ut ait ille: *Propter consuetudinem Gentis nostræ Longobardorum legem impiam vetare non possumus. Lib. 1. Leg. 39. tit. 9. de homicid. liberi homi. Cod. L.L. Longo.* Adeo altas in hominum animis Superstitio radices egerat.

Veruntamen cum diuturna experientia compertum esset, quod temere Dei omnipotentia tentaretur, ac multi licet innocentes immeritas luerent pœnas; excussa tandem Veterum barbarie hæc effera, & immanis consuetudo a Legibus, & Conciliis improbata, primum in Insubria, postea in aliis regionibus penitus exolevit. *Caus. 2. quest. 2. Can. consulisti. Cujac. de Feud. lib. 1. tit. 1. Murator. loc. cit. Sæculo tamen XII., & XIII. a Judiciis Ecclesiasticis nundum adhuc recesserat. Capitul. 1. 2. & 3. X. de purgatio. vulga., & capitul. 8. X. de purgatio. Canon.* Dolendum tamen est, quod hodie in tanta Scientiarum luce, dum censoria asperitate efferos Veterum mores damnamus in aliena vitia plus æquo acuti; nostra calligantes, ac inunctis oculis intuemur, dum eorum vestigiis inhærendo sub falsa honoris specie retinemus adhuc singulare certamen, abominandum ac ferox barbaricæ ruditatis monumentum.

elatis ita locuta est. Casta negor; si est, meruisse fatebor, morte dabo poenas. At si crimen abest; Tu, qui cuncta supercilio moves, tuoque Numine ubique præsens intimos usque animorum recessus scrutaris, huc esto Innocentiæ vindex, & cæptis annue meis. Dixit, & extemplo generosius se in ignem projecit. Mirabile dictu! Recedunt flammæ quasi in obsequium Pudicitiae; atque ut olim pueri illi veri Dei cultores e Babilonis fornace, sic pudicissima Regina illæsa penitus e rogo, ac victrix egressa est. Fit plausus undique omnibus lætitia gestientibus; ac divinitus triumphante optimæ Imperatricis virtute, turpiter prostrata jacet Calumnia (1).

Sed

---

(1) Factum Cunegundæ, licet a nobis Orationis causa paulo aliter expositum sit, [ inaccessit enim nudo pede per vomeres ignitos ] satis memorabile apud Historicos est. *Scriptor. Vitæ S. Cunegundæ apud Ludewic. Tom. 1. pag. 346. Scriptor. Bambergens.* Sed & alia non minus admiranda leguntur, quibus prodigiis innocentia detecta est. Sic Emma Angliæ Regina per ferrum candens absque læsione apud Edwardum Regem innocentiam probavit. *T. Polyd. Virg. lib. 4. Rerum Anglic.* Sic Mediolani quidam Presbyter nomine Li-prandus innoxius ab igne recessit. *GIULIN. Memor. di Mila. ad annum 1103.* Et cum hujusmodi experimenta non modo ad eluenda crimina, verum etiam ad Religionis tutelam quandoque sumerentur; sic D. Dominicus Prædicatorum Institutor in disputationibus contra Albigenses Sacros Codices in ignem projecit, eosque illæsos eximendo suam causam probavit.

Sed hæc quasi in diverticulo: redeo in viam.  
 Cum adulteria plerumque parietibus concludantur,  
 teganturque tenebris; plerumque etiam difficilis pro-  
 bationis esse solent. Fur enim, & Adulter perhor-  
 rent

---

bavit. MELCHIOR. CAN. *de Locis Theolog. lib. 2. cap. 2.*  
 PETRUS CISTERCIENSIS *de bello Albigensi lib. 5.* Sed præ cæ-  
 teris memorabile est factum Petri Aldobrandini Monaci æta-  
 te Alexandri II. Pontificis, qui de Simonia accusatus Flo-  
 rentiæ coram univèrso populo incessus per ignem illæsus eva-  
 sit, qui ob id *Ignæus* vocatur. BARON. *Annal. ad annum 1063.*

Sunt tamen, qui hæc omnia tamquam putida Muliercu-  
 larum deliramenta reiiciunt, eo vel maxime quod, ut docet  
 Albertus M. *de mirabilibus Mundi*, quibusdam adhibitis me-  
 dicamentis ferrum candens, aut ignem absque læsione man-  
 bus apprehendi posse contendunt. STRUV. *Syntag. Histor. German. in Ottone pag. 371.* An id fieri possit; tum an ea om-  
 nia, quæ narrantur, vera sint, non disputo. Scio enim mul-  
 ta falsis misceri. Id unum dicam: omnibus sine delectu fi-  
 dem adjungere, exigui ingenii est; perfractæ omnia negare,  
 summæ audaciæ. Nec enim dobitandum est, quin Deus in-  
 ter Catholicos quandoque tuendæ innocentæ causa mira ope-  
 ratus sit; si hoc etiam apud Gentiles aliquando præstitisse  
 legimus. Celeberimum in Historia Romana est factum Tuciæ  
 Virginis Vestalis, quæ, cum de Incestu argueretur, con-  
 scientia certæ sinceritatis suæ, ut ait Valerius M., opem sa-  
 lutis ancipiti argumento petere ausa est. Arrepto enim cri-  
 bro, *Vesta*, inquit, *si sacris tuis castas semper admovi ma-  
 nus, effice, ut hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in eadem  
 tuam perferam. Audacter, & temere jaclis votis Sacerdotis,  
 rerum ipsa Natura cessis.*

rent lucem, & ne in flagranti deprehendantur, rogant Deam nocti præsidem, ut caliginoso velo flagitia tegat:

*Pulchra Laverna*

*Da mihi fallere: da justum, sanctumque videri:*

*Noctem peccatis, & fraudibus obice nubem.*

Sunt hæc furis, & impudici Amatoris preces. Ut ergo Adulterium commissum dicatur, certis probationibus constare de crimine debet. Tunc generaliter satis constare dicitur, cum Vir, & Mulier adultera crimen non modo tentatum, sed perfectum fuisse in Judicio fatentur. Deficiente reorum confessione servi, & familiares a Judice interrogantur, qui non raro & socii, & intermedii sunt scelestæ libidinis. Aliquando tamen & præsumptionibus, & indicis, aliisque argumentis contenti simus oportet; quæ si plura numero sint, & valde urgentia, si adeo juncta inter se, ut plenam facere fidem videantur, in causa esse possunt, ut de adulterio postulatus pœnam non evadat (1). Dixi argumentis, aliisque, quæ plene probent; non suspicionibus, quæ sæpe vel levissima conjectura profectæ animum semper ancipitem tenent. Neque enim ob id quod Atalanta cum ado-

---

(1) MATTHÆI de Crim. lib. 48. tit. 3. cap. 2. §. 10. JUL. CLAR. §. adulterium. in Comme. DE ANGELIS de delict. par. 1. cap. 4. n. 13. & seq. BOSSIUS tract. var. tit. de rapt. Mulier., & tit. de coit. dam. aliique.

adolescentulis sola per sylvas spatietur, jure affirmabimus pudori minime pepercisse. Alioquin si vel levi conjectura publica animadversione vindicanda res foret, actum de his esset, quæ psallunt, & saltant elegantius, quam necesse est probis; aut quæ propter cultum amæniorum, ingeniumque liberius, quam virginem decet, parum abhorrent impudicarum famam. At si Clodius furtim Pompejæ cubile ingressus sit; si posuit vestimenta; si conscendit thorum; si præterea constet mulierem deperisse; ad stuprum per literas sollicitasse: quis dubitet utrumque adulterii damnare? Etenim quamvis singula per se infirma sint, nihilque facilius, quam ea diluere; tamen si consocientur, satis instruunt, confirmant, moventque ad judicandum. *Nam, ut præclare Cicero, unum aliquid, aut alterum potest in reum casu cecidisse: verum ut omnia inter se a primo ad postremum conveniant maleficia, necesse est casu non posse fieri (1).*

Quæ in adulteros fuerit Legis Juliæ pœna, non satis constat apud Interpretes. Verius videtur relegationem fuisse (2). Progressu temporis exasperata fuit, & Constantinus sacrilegos nuptiarum temeratores

---

(1) CIC. *lib. 2. de Orat.* QUINTIL. *lib. 5. Ins. Orat. cap. 12.*

(2) BRISSE. *de Adul. cap. 2.* GUJAC. *observ. lib. 6. cap. 11. cap. 19. lib. 20. cap. 18.*

res gladio puniri jussit, quod etiam Legi Mosaicæ est consentaneum. *Si quis concubuerit cum alterius Uxore, morte punitur tam Adulter, quam Adultera, ut tollas malum e medio Israel* (1). At Justinianus plus æquo Mulierum imbecillitati indulgens ad preces Theodoræ Uxoris, quæ cum dedecore Imperii fasces Marito ademerat, gladii pœnam Adulteræ remisit, verberatamque in Monasterio detrudi voluit; & si Maritus intra bienium recipere nolit, ibi de tonsa perpetuo mancipetur (2). Ut tamen ordinariæ pœnæ

---

(1) DEUTER. cap. 22. vers. 22. LEVIT. cap. 20. vers. 10. L. 30. Cod. ad L. Jul. de Adul.

(2) Novel. 134. cap. 10. Auth. Sed hodie Cod. ad L. Jul. de Adul. BODIN. de Repub. lib. 1. cap. 3.

Lege Julia non modo adulteri capitali pœna plectuntur; verum etiam omnes, quorum ope, consilio, suasu adulterium factum est, & nominatim Medii, & Internuncii, qui dolo malo domum, vineam, balneum adulterio præbuerint. Nam licet Adulteri vere non sint, pœna tamen Adulterii puniuntur. Fecisse enim, & illi dicuntur. L. 8. L. 12. L. 29. §. 1. ad L. Jul. de Adul.

Præter capitis pœnam, quæ Adulteris imminet; etiam rei familiaris jacturam sustinent. Etenim si Uxor publico judicio de Adulterio convicta fuerit, Maritus acquirit dotem, donationem propter nuptias, & ex paraphrenis tantam portionem, quanta est tertia dotis. Reliqua bona addicuntur Monasterio, nisi sint descendentes, quibus bes, idest octava pars, vel ascendentes, quibus triens, idest quarta defertur. Novel. 117. cap. 8. Novel. 134. cap. 10. Contra si

com-

næ locus sit, non sufficit conatus; sed perfectum scelus ad gladii pœnam Leges requirunt. Quare qui verbis, literis, munere alienas nuptias sollicitaverint;

---

commiserit adulterium Maritus, recuperat Uxor dotem, lucratur donationem propter nuptias, & ex reliquis bonis tantum, quantum tertia pars donationis propter nuptias efficit. Quod superest, Fisco vindicatur, nisi sint descendentes vel ascendentes, aut agnati ex latere usque ad tertium gradum, qui Fisco præferuntur. *Dist. Novel. 117. C. 134. Auth. bonæ dam. Cod. de bonis proscrip.*

Jure Canonico ex causa adulterii fit separatio conjugum. Vir adulter excommunicatur. Mulier vero, quæ relicto maritali thoro lapsu carnis ceciderit, præter excommunicationem, si eam Maritus recipere noluerit, in Monasterio cum Religiosis Mulieribus detruditur, ut ibi perpetuam pœnitentiam agat. *Cap. 6. X. de Adul. Cap. 19. X. de convers. Conjug.* Clericus vero adulterii convictus deponitur, & ulterius in Monasterium toto vitæ suæ tempore detruditur. Dicebat tamen suo tempore Alciatus, jocosè ut puto, quod si Clerici propter adulteria essent in Claustris detrudendi, pauci eorum ambularent per vias. *JUL. CLAR. §. Adulterium n. 7.*

Ex Constitutionibus Mediolani adulterium in muliere Judicis arbitrio coercetur. *N. C. Mediolan. tit. de Pœnis §. Mulier. C. decis. ibi n. 48. CLAR. loc. cit.* In Magno autem Hetruriæ Ducatu pœna, quæ in adulteros novissime indicta fuit, parum differre videtur ab ea, quam decrevit Constantinus, mulierum autem favore temperavit Justinianus. Adulter enim capite plectitur; adultera vero per viginti annos Ergastulo mancipatur. *Nov. Leg. Crim. pel Gran Duc. di Tosca. dell' anno 1786. §. 26.*

rint; quive oscula sumunt; inverecunde attrectant, quidve aliud impudicitiae gratia fecerint: cum vere adulterium non sit, nec ordinaria Legis poena plectendos esse constat. Etenim quamvis haec praenuntia Veneris, flagitiique sint; non sunt tamen Flagitium ipsum. Nec placet eorum opinio, qui suavia adulteriis comparare non dubitarunt; licet verum sit, quod audaces plerumque ita reddant homines, ut recte dixisse videatur Poeta ille amorum scriptor. *Oscula qui sumpsit, si non &c.* (1) Si enim severa nimis haec sententia amplectenda foret; actum profecto de iis omnibus esset, qui muliebriter pede ad artem composito, pastillos redolentes, & Gallicam undique affectantes comitatem geniales inter Mulierum cætus ad id plus æquo proni videntur. Cæterum, ut ait Paulus, sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque Matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possunt, propter voluntatem perniciosæ libidinis extra ordinem puniuntur (2).

Neque hic consistit Lex Julia publicæ Pudicitiae vindex, ac custos. Ut etiam metus proxime, ac perpetuo imminens protervos homines ab inquinandis nuptiis absterreret; armata Lex consedit circa  
li-

---

(1) BARTOL. ad L. 1. de Extra. Crim.

(2) L. 1. de Extraord. Crim.



limen cubilis, & Patri, maritoque ultorem detulit  
gladium, ut Adulterum in ipsa turpitudine necare  
liceret. Procul ergo, procul ite profani. Murus hic  
aheneus esto (1).

Atque hæc juxta principia Juris Romani. Nam  
hodiernis moribus adulteria modo ære, modo exilio,  
modo aliter extra ordinem puniuntur. Aliquando  
etiam inulta patiuntur (2). Jus vero occidendi adul-  
te-

---

(1) L. 20. 23. 24. & 32. ad L. Jul. de Adul. PAULUS  
lib. 2. Sent. cap. 26. GELLIUS lib. 10. cap. 28. Hanc gla-  
dii, privatæque vindictæ potestatem Justinianus postea au-  
xisse videtur, statuens, ut sine periculo Maritus eum peri-  
mat, quem suspectum de sua Uxore habet, si ter testato  
ipse denunciaverit, ne cum Uxore versaretur, & tamen con-  
tumaciter adhuc eum invenerit convenientem Uxori suæ in  
domo sua, vel Uxoris, vel Adulteri, vel in Popinis, aut  
in Suburbanis. *Autb. Si quis C. ad L. Jul. de Adul.*

Nunquid vero posita hac lege non solum impune, sed  
etiam citra culpam, seu, ut ajunt, in Foro conscientiaæ li-  
ceat Marito Adulterum in ipsa turpitudine deprehensum ne-  
care; disputent Theologi, morumque Magistri. Id plures af-  
firmant cum JULIO CLARO §. Homicidium n. 50. Negant  
alii, inter quos PEREZ in Cod. ad L. Jul. de Adul. n. 13.  
DOMINICUS VIVA *Thes. confixæ par. 1. propos. 19. Arg. Can.*  
6. 7. 8. & 9. *caus. 32. ques. 2.*

(2) In Italiam pœnam gladii exolevisse, pœnasque pe-  
cuniarias frequentari Julius Clarus testatur. §. *Adulterium n.*  
7. Immo si Vir sciens, prudens tacite, vel expresse inju-  
riam remiserit; tunc cessare omnem pœnam communiter tra-  
dunt

terum quod spectat, pariter moribus sublatum fuit. Dies enim, & humanitas in Urbem paulatim irrepens Viri manibus extorsit vindicem gladium. Periculose enim ferrum privatis porrigitur, quod a Magistratibus dstringendum est. Quare si hodie Maritus suæ injuriæ vindex Uxorem, aut adulterum doloris impetu tractus in ipsa turpitudine obtruncaverit; plectitur, non ordinaria quidem pœna Legis Corneliæ de Sicariis, mitius tamen, & extra ordinem. Leges enim aliquid tribuunt iracundiæ, justaque dolori; cum difficilimum sit in simili re nimium concitatos animi motus temperare (1). Sed quid si Adulter a Marito pugnis, vel loris concidatur; si castratur; aut aure, vel naso mutiletur? Juxta principia Juris Romani id ei impune esse non male dixeris (2). Hodie tamen, cum sublata gladii potestate, Jus quoque privatæ vindictæ sublatum sit; ne id quidem Marito licere verius mihi videtur.

Ma-

---

dunt nostri Juris Interpretes. *Arg. Novel. 134. cap. 10. VOET in Pandec. ad L. Jul. de Adul. §. 16. & seqq.* Varii autem hac in re aliarum gentium mores videri possunt apud MATHEUM *de Crim. lib. 48. tit. 3. cap. 2. §. 2.*

(1) *L. 38. §. 8. ad L. Jul. de Adul. L. 1. §. 5. ad L. Cor. de Sicar. BOHEMER. Elem. Jur. Crim. §. 283. PEREZ. in Cod. ad L. Jul. de Adul.*

(2) *L. 22. §. 3. ad L. Jul. de Adul. VALER. MAXIMA. lib. 6. cap. 1. §. 13. BYNKERSHOEK Observ. lib. 5. cap. 8. vers. Quæsitum.*

Mathæus magnum in Jurisprudencia nomen contendit, adeo grave esse Adulterii crimen, ut non nisi morte reorum expiari possit, ac propterea vehementer improbat hodiernos mores, quibus multum a veteri Legis Juliæ severitate recessum fuit, quam unicam appellat matronalis Pudicitia custodem (1). At si adulterium capite luendum est; quid agendum erit adversus improbum Filium, qui reclamante natura parentem necavit? Quid adversus proditorem, ac hostem Patriæ, qui publicam turbat quietem, qui ausu nefario universæ Reipublicæ excidium machinatus est? Grave quidem est Adulterii crimen: at sæva res amor, nec amor a natura alienus. Jam vero mors ultima linea rerum est. Pace sua dicam, Catonis supercilium mihi affectasse videtur. Neque ob id probo hodiernos mores, qui mitiores plus æquo plerumque hoc facinus impunitum reliquunt. Quid enim hoc est, nisi morum cõruptelæ ansam præbere? Media tenenda via est, ut & consultum sit satis maritali Pudicitia, & frenum iniiciatur moribus; ita tamen ne in nimiam asperitatem labi videamur.

*Altius egressus, Cœlestia regna cremabis;*

*Inferius terras: medio tutissimus ibis.*

Quare mihi risu excipiendus videtur recens nostræ ætatis Scriptor, qui contendit Adulteria extra pœnam esse debere, & nullum aliud parti læsæ jus

b

com-

---

(1) MATR. loc. cit. cap. 2. §. 4.

competere, quam ut resilire a conjugio possit. Etenim cum gens humana in vetitum ruat; quis reperietur, qui impunitate proposita abstinere possit injuria? Aut quis tandem æstuantis luxuriæ modus erit, ubi attrita semel de fronte pudor recessit? Impunitas peccandi maxima illecebra est (1).

Quidnam igitur constituendum erit in vindicanda Adulterii labe, ut & humanitatis cujusdam ratio habeatur, & una etiam protervi homines in officio contineantur? Id quidem ad me non attinet; nec res est ejusmodi, ut facile possit deffiniri. Id certum est ad coercenda hominum scelera minus quandoque pœnarum immanitatem, quam genus potuisse. Quod si quæramus, quo animadversionis genere quandoque Veteres adulteria punire solerent, videmus non tam sævitie usos, quam infamiæ metu. De veteribus Germanis sic refert Tacitus. *Pau-  
cissima in tam numerosa gente Adulteria, quorum pœ-  
na præsens, & Maritis permissa. Accisis crinibus, nu-  
datam coram propinquis expellit domo Maritus, ac per  
omnem vicum verberare agit, publicatæ Pudicitie nulla  
venia, non forma, non etate, non opibus maritum in-  
venerit* (2). Non mihi hic quærendum puto, an hoc  
punitiois genus in exemplum trahi debeat. Video  
tamen etiam in aliis criminibus impediendis infamiæ

---

(1) CICER. lib. 3. de Offic.

(2) De moribus German. cap. 19.

miæ metum vim semper habuisse maximam. Nam cum apud Milesios alia plurima ad cohibenda suicidia inutiliter cessissent; hoc veluti extremum remedium fuit, quo uterentur. Etenim cum eorum Virgines nescio quo furore percitæ passim, & absque causa violentas in se manus inferendo se ipsas interimerent, nec ulla re huic malo occurri posset; cautum tandem, ut quæ id fecissent, unco impacto nudæ a Carnifice traherentur. Tunc demum victus pudore furor; & quas continere non potuit Deorum religio, Parentum pietas, Vitæ amor, immo teterrimus ipse mortis adspectus; deterruit infamia, ac pudor inhonesti funeris. Adeo verum est etiam mortituris efficacem esse ignominiaë sensum (1).

Præter Adulteria vindicat etiam Lex Julia Stuprum, Incestum, Lenocinium, ac denique monstruosam Venerem; cum omnia libidinum genera hac Legge coerceantur. Sed ne fines, qui ad dicendum mihi præstituti sunt, prætergredi videar, pauca attigisse sufficiat.

Stuprum proprie in Virginem, vel Viduam honeste viventem committitur (2). Dixi honeste viventem: nam si alterutra proterve, & meretricio

b 2

more

---

(1) AULUS GELLIUS *Noct. Attic. lib. 15. cap. 10. PLIN. lib. 36. cap. 15.*

(2) L. 6. §. 1. ad L. Jul. de Adul. L. 101. de verb. signif.

more vivit; qui congressus est, de stupro non tenetur (1). Stuprum autem aliud violentum dicitur; aliud non violentum, seu voluntarium. Primum, si metus vehemens, aut vis illata sit, cui resisti non possit, ut prostat celebre Tarquinii factum, qui stricto ense Lucretiam subegit. Secundum, si Vidua, aut Virgo sponte alterius libidini cesserit, licet blanditiis, aut munere molli quadam vi consensum quasi extorserit; aut licet illa dissentire simulans muliebriter pugnaret, quasi vincere nollet. Etenim præterquam quod est vis, quæ facile repelli potest, hoc est Mulierum ingenium, ut sæpius luctando simulate recusent, quod quam maxime concupiscunt. Pœnam quod attinet, si stuprator honestus sit, est publicatio dimidiæ partis bonorum; sin humilis, coercitio corporis cum relegatione (2). Quandoque tamen ex circumstantiis pœna exasperatur maxime in eum, qui immaturam Virginem corruperit, aut vi adhibita stuprum admisit. Incidit enim in Legem Juliam de vi publica, & ideo capitalis pœna erit. (3) Quantum ad corruptam, plurimum sane interest, quo corrupta sit modo. Si enim vi subacta fuit, crimine vacat: mens enim peccat, non corpus,

---

(1) L. 22. Cod. ad L. Jul. de Adul.

(2) §. 4. Ins. de Pub. Jud.

(3) L. 3. §. 4. ad L. Jul. de vi pub. L. 38. §. 3. de Pœnis. L. 29. §. 9. ad L. Jul. de Adul.

pus. At si volens pudorem suum alienæ libidini  
supposuit, prostravitque, non minus, ac stuprator  
in Legis pœnam incidit (1).

b 3

A Stu-

(2) L. 20. *Cod. ad L. Jul. de Adul. L. 19. eod.* Hodier-  
nis moribus etiam in hac re fere ubique multum a veteri se-  
veritate recessum fuit. Stuprum enim, quod nec violentum  
appellant, si cum Vidua commissum sit, moribus Italiæ fere  
inultum plerumque relinquitur. Si vero cum Virgine, quæ  
sub pacto futuri Matrimonii Pudicitiam prostituit; Stuprator  
eam ducere cogitur. Si vero nullum pactum intercessit, in  
ejus arbitrio est, aut ducere, aut dotare, sicut & olim Lex  
Attica præcipiebat; nisi Puella, vel ab aliis jam pœluta sit,  
vel procax meretricio more vivat. Quod si neutrum præstet,  
extra ordinem coercetur. EXOD. cap. 22. vers. 16. & seqq.  
DEUTER. cap. 22. vers. 28. & seqq. cap. 1. & 2. X. de  
*Adul. ibiq.* GONZAL. FABER. in *cod. lib. 9. tit. 7. def. 5.*  
PEREZ. in *Cod. ad L. Jul. de Adul. n. 52.* VOET in *Pan-*  
*dec. cod. tit. n. 4.*

Amplius & illud alicubi receptum est, ut Stuprator, qui  
elegit dotem constituere, teneatur etiam ad sumptus partus,  
& puerperii; immo & alimenta iis præstare, qui forte ex  
Stupro geniti sunt; licet Jure Romano aliter se res habeat.  
FABER *loc. cit. def. 6.* PEREZ. *loc. cit. n. 51. Novel. 89.*  
*cap. 15.* Quod si Stuprum per vim commissum sit, quod  
violentum vocant, etiam nunc gravissime plectitur; aliquan-  
do etiam attentis circumstantiis ultimo supplicio. ANGEL.  
*de delict. Car. par. 1. cap. 124.* JUL. CLAR. §. *Stuprum.* BOSI.  
*Tract. var. de coitu damna. n. 19. & seqq.* N. C. *Mediol.*  
*sub. tit. de Pœnis decis. 2. 7. & seqq.*

Apud nos vero, cum novissime Reg. Imper. Jure quod-  
cum-

A Stupro venio ad Incestum inexpiabile scelus, per quod spreta pudoris, & naturalis reverentia Lege jus sanguinis polluitur. Natura siquidem non sine consilio a quibusdam nuptiis abstinendum jussit; atque ob id quemdam nobis horrorem ingeneravit, ut omnis absurda prorsus, & monstrosa conjunctio erriperetur, ubi vel maxime conjugalis familiaritas cum veneratione, cultuque paterno pugnare videtur. Eam ob rem nefariae apud Veteres merito habitae fuerunt tragicæ Oedipi, & Thiestis incestae nuptiae, ubi, ut ait Seneca, versa Natura est retro; ubi Sol ipse perhorrescens caliginoso velo mortalibus diem negavit, ne ad hujusmodi flagitia pollueretur (1). Sunt quidem hæc Poetarum Figmenta,

---

cumque pactum de futuro matrimonio nullam vim habeat, nec civiles pariat affectus, licet Puella sub fide conjugii alterius libidini cesserit; *Reg. Imper. Cons. anni 1784. die 17. Septembris §. 13.*, dubitari non immerito posset, an qui eam compressit, cum nec ducere, nec dotare teneatur, saltem tamquam reus de Stupro publico judicio postulari, ac coerceri possit. Et posse videtur; nam quamvis cesset obligatio civilis, non deficit crimen. Jam vero cum publice intersit, ut Pudicitia servetur, non ea capienda interpretatio est, ut inultum sit facinus, quod mali exempli est, & bonis moribus adversatur. *Omnes enim leges, ut præclare CICERO de Inven. lib. I., ad commodum Reipublicæ referri oportet, & eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quæ in literis est, interpretari.*

(1) HOMER. *Il. Odiss.* SENEC. *Thebaj. Act. I. vers. 134.* Idem in *Agamem. Act. I. vers. 34.* OVID. *Metamorf. lib. 15.*



ta, probant tamen ex communi Gentium consensu, quantum Natura a quibusdam conjunctionibus abhorreat. Quod si aliqui reperiantur, qui more ferarum viventes hanc naturæ legem aspernentur; isti non jus constituunt, sed immaniter violant. Quare quod ait Ovidius

*Gentes esse feruntur,  
In quibus & nato genetrix, & nata parenti  
Jungitur, & pietas geminato crescit amore;*

id hominum vitio tribui oportet. Nam quod naturale est, non a pravis, & corruptis dimetiendum est; sed ab his, qui bene, & secundum naturam vivunt. Hinc est quod Juris Consulti nostri, ut damnatas jure Naturæ, ac Gentium conjunctiones notarent, sapientissime atrocius excogitavere vocabulum, easque *Nefarias* appellarunt.

Cum vero reverentia sanguini debita vel a jure Naturæ, vel a Civili descendat; dividitur Incestus, quod vel jure Gentium, vel jure Civili committatur. Jure Gentium inter ascendentes, & descendentes committitur; jure Civili inter omnes ex latere venientes sive cognatione, sive affinitate jungantur, Fratre, & Sorore exceptis; inter quos, quidquid alii contra disputent, jure Gentium Incestum committi, tum insitus a natura pudor, tum ratio, tum cultiorum Gentium consensus, ac mores luculenter

probant (1). Quænam antiquitus fuerit Incestus pœna, adhuc sub Judice lis est. Gravissime tamen in  
eum

---

(1) Satis gravis est quæstio, & non raro inter Principes sanguinis ratione magnis agitata motibus, an inter Fratres, & Sorores nuptiarum prohibitio a natura ipsa descendat, atque ob id an per eorum commixtionem committatur Incestus, qui Juris Gentium dicitur. Mihi amplectenda videtur Cocceii, aliorumque Sententia, qui tum ratione, tum auctoritate id defendunt, eo vel maxime quod, cum natura, & indoles conjugalis Societatis, atque educationis naturali jure postulet, ut saltem Soror, & Frater in eadem vivant familia; a natura ipsa descendere videtur, ut nuptiæ inter eos consistere nequeant; contractæ vero incestuosæ dicantur, spreta nempe pudoris naturalis lege. Decet enim, ut quæ habitatio necessaria quodammodo est, eadem pura, & sancta esse debeat; quod sane fieri ut plurimum non posset, si Fratri Sororis, Sorori Fratris concubitum appetere liceret, seque invicem ad amoris illecebras incitare. Nefas igitur est, ut Natura rem permittat, quæ sanctitatem, & honestatem familiarum pessumdare, easque in lupanaria convertere posset. Hinc intelliges, cur Natura provido consilio inter hujusmodi Personas quemdam pudorem, seu commixtionis fugam indidit; qui quidem pudor, cum apud omnes saltem Cultiores gentes, & perpetuus fuerit, & apud omnes peræque custoditur, merito tamquam Lex Naturæ haberi debet. Quod enim a Natura descendit, perpetuum est: quod ab hominum opinione, varium, & mutabile semper. COCCEJ. *ad GRÖT. de Jur. Bel. & Pac. lib. 2. cap. 5. §. 12. proposit. 9. Item dissert. proem. 12. lib. 3. cap. 4. sec. 6. §. 176.* LAMPR. *D. Jus pub. par. 1. cap. 16. §. 11. circa finem.* GUNDLING.

eum animadversum fuisse conjectare licet. Apud Hebræos incesta cum Sorore consuetudo capite luenda erat. Ita Moyses: *qui acceperit sororem suam, rem nefariam operatus est, & in conspectu populi occidetur.*

*Levit. cap. 20. vers. 27.* Jus nostrum quod attinet, si ex jure Civili Incestus descendat, est deportatio; si ex jure Gentium, est pœna mortis (1). Ut tamen ordinariæ pœnæ locus sit; regulariter conatus non sufficit, nisi qualitas personæ id deposcat. Nam si quis vel appellaverit Virgines Deo dicatas, etiam si effectu sceleris potiri non possit, capite punitur.

(2) Neque hoc abhorret a vetustissimis Quiritum

b 5

mori-

---

LING. *Jus Nat. cap. 26. §. 42.* MATHE. *de Crim. lib. 48. tit. 3. cap. 6. §. 3. L. 14. §. Serviles. de ritu Nup. §. 2. In s. de Nup. L. 17. Cod. eod. CIC. lib. 1. De Divinat. PLATO lib. 5. de leg. lib. 3. de Nat. Deor. LEVIT. cap. 20. vers. 17. DEUTER. cap. 27. vers. 22.* Quare in transversum acti mihi videntur Gonzales, alique D. Thomæ auctoritatem secuti, qui hujusmodi prohibitionem a civilibus potius institutis, quam a jure Naturæ, & Gentium repetendam arbitrantur, atque ob id Pontificem dispensare posse; eo vel maxime quod animadvertant apud Persis, aliosque quandoque Sororis lectum Fratri patuisse. GONZAL. *ad Capitul. quod super 11. de consang. & aff. WOLFF. Ins. Jur. Nat. & Gen. §. 946. PUFFENDORF. Jur. Nat. & Gen. lib. 6. cap. 1. §. 34.* Etenim non quid a nonnullis factum sit, sed quid deceat, quidque naturalis ratio dicat, considerare debemus.

(1) MATH. *de Crim. lib. 48. tit. 3. cap. 4. §. 6.*

(2) L. 5. *Cod. de Epis. & Cler.*

moribus, apud quos Vestalium Incesta tanquam grande nefas singulari supplicio punita fuisse legimus. Vivæ enim in Campo scelerato intra urbem defodebantur; Stupratoribus in Comitio virgis ad necem usque cæsis (1).

Repressa Incestus nequitia; reprimamus etiam per Legem Juliam turpissimum hominum genus, qui leni, blandoque sermone mentes inquinant, Pudicitiam prosternunt, ad Stuprum concitant, qui fœminas tanquam Veneris mancipia vel domi, vel in tabernis alunt, fovent, parant turpis lucri causa. Hi sunt Lenones pestiferi castitatis vastatores, quos merito Leges execrantur, cum pro viribus absurdam de

---

(1) ROSIN. *Antiquit. Rom. par. 3. cap. 19.* Nostros mores quod attinet, Incestuosos varie a Senatu Mediolani coercitos fuisse observat Julius Clarus, cum multa esse queant, quæ augere, vel minuere crimen possint, ut ætas immatura, error, necessitas, & inopia, qua urgente Frater, & Soror ab incunabulis simul obdormire consueverunt. L. 38. §. 2. & seqq. ad L. Jul. de Adul. BANNIZ. *deline. Jur. Crim. Par. 1. lib. 2. c. 21. §. 521.* JUL. CLAR. §. *Incestus n. 4. 6. 8. 9.* Illud obiter monendum censeo, quod cum nuperime Reg. Imp. Constitutione, qua Juri Canonico derogatum fuit, vinculum cognationis, & affinitatis inter venientes ex latere ad secundum tantum gradum coercitum sit; nunc, qui gradum a lege definitum prætergressi corpore junguntur, non amplius de Incestu, sed de Stupro, aut alio criminis genere tenentur, *Dicta Reg. Constit. de Nup. §. 13. 14. 15.*

de mulierum communione Platonis sententiam in urbem traducere conantur; absurdam, inquam, nec tanto Philosopho dignam. Vaga enim, & incerta Venus quantum Juri Naturæ bonisque moribus adversetur, non vacat pluribus, ut demonstrem. Natura siquidem Marem, & Fœminam in mutuam conjunctionem impellit, trahitque sobolis suscipiendæ, educandæque causa. Jam verò, ut cætera ommittam, per vagos concubitus ut plurimum proles impeditur; aut saltem educatio negligitur, cum filii vulgo quæsiti Patrem non habeant, quem demonstrare possint. Equidem generare nihil facilius; at educare, hoc opus, hic labor. Neque enim hominis educatio, ac illa animantium est, quæ brevi perficitur. Ferarum siquidem, pecudumque fœtibus statim est incessus, atque ad ubera impetus; nobis vero tollendus est infans, atque adversus frigora nutriendus. Longe autem operosior, atque diuturna ea est, quæ ad rectam animi institutionem pertinet; cum homini & os sublime, & ratio data sit, non ut pronus terram respiciat, sed ut erecta fronte Cœlestia meditetur. Quis ergo tot incommoda sponte vorabit, qui se Patrem ignoret? Aut quæ Parentum pietas, si soboles de vulgo est? Tritum est sermone proverbium, ac diuturno rerum usu firmatum: *Quæ publica sunt, publice negliguntur*. Sed hæc obiter; restauramus iter. Improbum ergo hoc hominum genus merito Lex Julia coercet, qui licet vere adulteri non sint, adulte-

rii tamen pœna plectuntur (1). Horum agmen Maritus ducit, quem fœdissime Lenocinii turpitudine conspurcat. Quid enim si converso in pretium Deo sciens prudens de Uxoris scelere gaudet, stertitque supinus, aut stertere fingit, dum illa inverecunde pudicitiam prosternit? Tunc enim Maritus ( si tamen Maritum appellare licet ) adulterii pœna merito coercetur. *Nec enim, ut ait Ulpianus noster, mediocriter delinquit, qui Lenocinium in Uxorem exercuit* (2). Lenonibus proximi sunt, qui dolo malo domum, agrum, balneum, vineam præbentes quoquomodo alterius libidini inserviunt (3). Augustus Lege Julia teneri jussit, qui scientes domum suam præbuisent, ut adulterium cum aliena matre familiasmitteretur; qui de Uxoris corpore questum fecissent; tandem omnes, qui pro comperto Stupro aliquid accepissent (4). Cæteri Lenones, qui Meretrices publice prostituebant, Lege Julia non comprehendebantur (5).

Se-

(1) L. 8. 9. 10. §. 1. ad L. Jul. de Adul. L. 10. C. eod. L. 1. §. 4. Ait Prætor de His, qui notant. infam. L. 37. §. fin. de Minor. L. 43. de Ritu Nupr.

(2) L. 2. §. 2. L. 29. §. 3. ad L. Jul. de Adul. PAGENSTECHER de Cornibus, & Cornut. MÖLLER disput. de Hermaphro. Cornut.

(3) Dist. L. 8. cum supra cit.

(4) L. 10. ad L. Jul. de Adul. L. 10. C. eod.

(5) HOFFMAN, ad L. Jul. de Adul. cap. 8. §. 1. & 2.

Sequiores Augusti aliquid & ipsi constituerunt (1). Tandem in Lenones vehementer exarsit Justinianus, qui in eos constituit novissima supplicia, quæ alii pœnam mortis, alii pœnam deportationis, & exilii interpretantur (2). Su-

(1) SVETON. *in vit. Tiber. cap. 35. 44. 45. L. 1. C. de Natur. Liber. L. 6. & 7. C. de Specta. & Scen. & Lenon.*

(2) *Novell. 14. Nostros mores quod attinet, cavetur Constitutionibus Mediolani, ut Parentes, qui filias prostituunt, Virgis cœdantur. Reliqui vero turpissimi Veneris proxenetæ ignominiosa Mitra redimiti, aut publice verberantur; aut distortis brachiis trino funis ictu plectuntur; aut ad triremes damnantur, atque id pro admissi qualitate, cum multa Senatus arbitrio a legibus relinquuntur. N. C. Mediol. lib. 4. tit. de Meritr. & Lenon., & tit. de Pœnis versic. Parentes. JUL. GLAR. Pract. Crim. lib. 5. §. final. quest. 68. n. 23. CABALL. resolut. Crim. cas. 171. n. 6. & 7. MENCH. de Arbit. Judic. lib. 2. cas. 534. n. 44. Centur. 6.*

Illud hoc loco animadvertendum est, quod cum quæstus proprie Lenocinium constituat; sequitur eum, qui amicorum precibus, & voluntati indulgens auxilium, & opem gratis quoquomodo alienæ libidini præbet, non ut Lenonem, nec ordinaria Legis pœna, sed alio potius nomine, & extra ordinem coercendum videri. L. 43. §. 1. & seqq. de ritu Nups. Aliquando tamen, licet de lucro non satis constet, præsumitur, ut in Parente, aut in Marito prostituta, in quibus sola etiam dissimulatio, & conniventia loco doli habetur, atque ob id ordinaria pœna plectuntur. Neque enim aliter adumbrari nisi lucri causa, hæc patientia potest. Debebat enim Vir, ut scite Ulpianus noster, vehementer uxori irasci, quæ turpiter matrimonium ejus violavit. Arg. l. 29. ad L. Jul. de Adul. CARPZO. ques. 71. n. 33. BOEHMER. Elem. Jur. Crim. §. 319.

Superesset adhuc monstrosa Venus; sed ne pudicas Vestrum aures offendam, lubens prætereo. Est <sup>(1)</sup> ubi sexus perdidit locum; ubi Venus mutatur in alteram formam; ubi acerrime indignatæ Leges jubent insurgi gladio ultore. Adeo nefandum est, ut Costantinus Imperator in sua Lege sapienter, & consulto quæsitæ verborum perplexitate illud contexit, ut auribus Populi honos haberetur (1). Atque utinam ad ejus exemplum omnes pro munere de re Venerea tractantes hanc verecundiæ Legem servassent. Neque enim Sanchez, aliique turpius turpitudine ipsa scripsissent.

De Meretricio scelere Lex Julia non loquitur, cum apud Romanos extra pœnam Legis esset. Impudicæ siquidem Veneris ministræ, quæ excusso pudore palam, & publice venalem exhibent formam, apud Ædiles soluto vectigali licentiam stupri profitebantur; nec creditum fuit eas judiciaria severitate coerceri, quas vitæ turpitudine, ac vilitas satis superque notabat infamia. Quamvis enim ipsis impune id esset; merito tamen per leges infames erant; atque ut a Matronis secernerentur, diversa Vestium, cultusque ratione uti cogebantur. Qui vero incontenter ad eas accedebant, licet non notarentur infamia;

pu-

---

(1) L. 31. C. ad L. Jul. de Adult. L. 1. §. ult. de Ex-  
tra Crim. AUGUSTIN. in Can. Adulterii 32. quæst. 7. Can. 4.  
caus. 15. quæst. 1. LEVIT. cap. 20. vers. 15. 16.

(2) enim execrabile crimen, quod non proficit scire. ubi-ec.



pudor tamen, atque existimatio apud graves, probosque viros onerabatur. Nam non omne quod licet, honestum est; sæpe quod non vetat Lex, vetat pudor (1).

Jure Romano si quid stupri causa Meretrici datum sit, ejus repetitio non datur; nam ut eleganter Ulpianus: *illa turpiter facit, quod sit Meretrix; non turpiter accipit, cum sit Meretrix*: eo magis quod in pari turpitudinis causa melior sit possidentis conditio. At si quid Meretrici promissum sit; etiam re secuta id repeti ab illa nequit (2). Romanæ siquidem Leges non sine consilio actionem ex turpi causa denegandam esse sapientissime censuerunt. Quid enim magis absurdum, quam ut Meretrix atrita fronte suæ turpitudinis pretium publico judicio repetere possit? Aut quid magis alienum a dignitate, & sanctitate Judiciorum, quam ut Prætor ex officio de re tam obscena, quam severius retundere sui muneris est, inde nata infami actione longe turpissimum jus reddat? Quid denique publicæ disciplinæ, bonisque moribus magis contrarium, quam cæteras malo exemplo ad Scelus, ad Stuprum allicere, si Meretrix excusso

---

(1) L. 29. C. ad L. Jul. de Adult. L. 22. eod. L. 43. de Ritu Nupt. L. 27. §. 1. de Heredi. petitio. SVETON. in Domitia. cap. 8. RAMOS ad L. Julia. & Pap. lib. 3. cap. 37. FERRARI de Re vestiariar. 1. 3. 23.

(2) L. 4. §. 3. de conditio. ob turpem caus. L. 5. C. eod.

cusso pudore de tam nefanda victoria plaudere sibi posset? Quare vel iracunde mihi explodenda videtur eorum sententia, qui re præstita mercedem a quaestuaria muliere repeti posse contendunt (1). Si enim rei turpis nulla vel apud Gentiles erat obligatio, qui & Veneri impudicæ, & Deo ignoto aras dicarunt; abominandum profecto apud Nos esset hanc labem juris præsidio munire, qui cælesti munere Evangelicam sanctitatis, pudorisque Legem publice profite-mur. Sed quid est tam monstruosum in Jure, quod suos quandoque Patronos non habeat? Decius scripsit, Meretrices licet invitæ cogi posse ad faciendam sui corporis copiam, sicut Caupones viatorem hospitio recipere coguntur. Jam vero quid magis hac sententia putidum? Etenim si in Societate tumultus vitandi causa quamcumque vim generaliter Leges prohibent; multo magis publica animadversione ea vindicanda erit, quæ rei turpis extorquendæ causa reluctanti infertur. Incidet ergo in Legem Juliam de vi Publica, si quis fuerit tam effrenatæ, indomitæque libidinis. Nam vel Meretrici vim inferre, vel ædes expugnare sui subigendi causa, nec  
jus

---

(1) COVARUV. *Par. 2. §. 2. ad Cap. Peccatum*. COCCEJ. *ad GROTI. lib. 2. cap. 10. §. 2. cap. 11. §. 2. PACION. Locat. cap. 15. §. 7. CAROC. Locat. par. 1. quest. 10. §. 94. SABELL. in verb. Meretrix. §. 12.*

jus, nec ratio patitur (1). Bossius, ni fallor, aut quisquis alius sit, docet, tum demum publica scorta dici, cum aliquot millia hominum admiserunt; Glossa vero in Canone *Vidua est, distinct.* 34. ulterius progressa, ait Meretricem esse, quæ viginti tresmille viros passa est (2). Quid enim magis puerile, ac ineptum! Equidem verum est in jure prostitutam eam minime censi, quæ amore capta Pudicitiam amanti excutiendam præbuit; nec eam, quæ cum uno, & altero pecunia accepta commiscuit. Verum quæ turpiter vivens plurium libidini patet, quæ palam, & publice quæstum corpore facit; quid ni dicemus Meretricem esse, licet Venere sibi parum secunda innumeri ad eam non accesserint? Palam enim, ac publice quæstum facere Jurisconsulti intelligunt, cum mulier passim, & sine delectu, idest coram pluribus in Lupanario se prostituit, vel, ut adsolet, in Taberna cauponia, vel qua alia pudori suo non parcat (3). Igitur non tam quantitas, quam modus, & causa præcipue Meretricem facit. Si enim Glossæ numerum explere oportet; forte ne famosum quidem prostitutæ nomen sibi vindicare posset, aut decantata Thais, aut Messalina procax. Non

lon-

(1) L. 3. §. 4. L. 5. §. 2. ad L. Jul. de vi Publica.

(2) ZAHN *Politic. Municip. lib. 3. cap. 34. §. 56.*

(3) L. 43. §. 1. & seqq. de ritu Nupt. L. 33. de verb. signif.



longe ab hisce recedit eorum Sententia, qui non per  
jocum, sed graviter, ac serio, immo de *rigore Ju-  
ris*, etiam ex meretricio quæstu jus decimandi Ec-  
clesiæ adjudicarunt (1). Quid enim magis indeco-  
rum, & a Religionis castitate alienum, quam ut il-  
li, qui altari inserviunt, non de altari tantum, sed  
etiam de alieno stupro, ac scelere vivant? Nunquid  
inverecunde cum Vespasiano dicemus: *lucri bonus  
odor ex quocumque fiat?* Absit hoc scelus. Sed mit-  
tamus hæc putida nonnullorum deliramenta, quæ præ-  
stantissimam æqui bonique Scientiam meretricio quasi  
more turpiter prostituunt.

Illud quærendum hoc loco esset, nunquid in  
bene constituta Societate sub specie boni impune fer-  
ri debeat hoc turpe Mulierum genus, quæ mores in-  
quinant, adolescentes corrumpunt, patrimonia vo-  
rant. Veruntamen, cum temporis ratio minime pa-  
tiatur; alias fortasse, si Superis placebit, fusiori  
Oratione aperiatur, quod sentio. Interim dicam cum  
Seneca: *Si ideo vitia in usum recipienda sunt, quia  
aliquando aliquid boni effecerunt: abominandum profe-  
cto remedii genus est, sanitatem debere morbo. Lib. 1.  
de ira, cap. 12.*

Atque hæc adnotasse sufficiat ad Legem Juliam  
de Adulteriis, & Pudicitia. Veruntamen, quid pro-  
sunt Leges, si causa morbi non præciditur? Si im-  
pune

---

(1) BARBOS. *Jus Eccles. lib. 3. tit. 26. §. 1. n. 32.*

pune debacchatur Luxus, qui potentior iclu fulmineo  
frangit vires, domos expugnat, mores corrumpit,  
ad stuprum concitat, nuptias inquinat? Lucilla vult  
pulehra videri: eam Vicini formosam, ac beatam  
prædicant. At Vir de plebe, & inops est; vix pa-  
nem suppetit, quo illa latrantem fame sthomaquam  
lenire possit. Quid inde? Ut Luxui debaccetur, ut  
vestem, ut monilia comparet, turpiter se ipsam plus  
offerenti meretricio more locabit. Heu quid non  
cogis mortalium pectora Ambitio, & Luxus! Exter-  
minetur ergo hæc flamma, hæc pestis ab Ædibus,  
ab Urbe, Arceque; & tunc, ni fallor, salva erit  
Pudicitia.

Ad te nunc venio, Ornatissime Adolescens JOHANNES  
MARANGONI, qui ut ad omne humaniorum, &  
liberalium artium genus ab ipsa natura formatus es;  
ita ingenio, quo maxime polles, adeo te ad scientiam  
Juris contulisti, ut Patria tua præclara, ac re-  
xima sibi a te merito polliceatur. Tu acer ingenio,  
sermone elegans, in percipiendo velox, in respon-  
dendo subtilis, omnibus denique ornamentis instar.  
Etus publico documento ostendisti, quam prospere  
ausu difficilem sane, ac arduum Jurisprudentiæ curricula  
expleveris. Cresce ergo in Reipublicæ spem, in  
Patriæ decus, in optimi Parentis tui ornamentum. In  
te omnes oculos coniciunt; a te præclara omnes ex-  
pectant. Immitare splendidum Avunculi tui exem-  
plum, in quo hæreditario quoddam jure omnium  
vir-

virtutum genera inter sese mirifice copulantur; ut nescias, utrum ingenium, eruditio, aliaque virtutum ornamenta in eo magis splendeant, an eximia morum gravitas, comitas, atque prudentia (1). Sequere clarissima Avi tui vestigia; atque ut ille in armis, & bellico sudore, sic tu in Toga, jurisque certamine ad unam virtutis gloriam contende (2). Age ergo summa ope, tua res agitur; & peracto feliciter studiorum cursu ita te eruditum ostende, ut Rempublicam nostram in partibus tibi credendis strenue, ac sapienter gubernare possis.

Et quoniam decet, ut virtus decorata honoribus sit; accede jam, Clarissime Prolyta, ut ea summas præmia, ac insignia, quæ tibi merito debentur. En sacri Legum Codices, celeberrimum Romanæ Prudentiæ monumentum, quæ non tantum armis, & bellica virtute, quam Legum Majestate, Justitia, ac Sanctitate vel dissitas Gentes in sui admirationem rapiens, Imperium e parva Romuli casa, iisdem, quibus Orbis terræ, Regionibus terminavit. Hinc disces honeste vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere. Universa siquidem Jurisprudencia tribus hisce principiis inicitur; Jurisprudencia, inquam, quæ

---

(1) Illust. D. ANTONIUS GOBBIO in universa Mantuana Provincia Vectigalium Præfectus.

(2) Illust. D. MARCUS ANTONIUS COMPAGNONI Eques Ordinis Costantiniani, atque apud Siciliæ Regem Hispanicæ cohortis Tribunus.

quæ ob ejus dignitatem, gravitatem, ac præstantiam Jurisconsultum a vulgo secernit; quæque apud Romanos maximo in honore fuit, & Cæsares, Crassos, Pompejos, ad honorificentissimos, ac summos Republicæ gradus evexit. Accipe Annulum aureum; quem tibi digitis insero, Fidei, quam Catholica Ecclesiæ, Summo Imperanti, & huic R. Gymnasio solemni juramento pollicitus es, symbolum, & firmamentum. Atque interim dum inter oscula Te honeste dimitto, dam tibi omnia fausta precor; memento, ut in pectore tamquam in asilo sacro perpetuo Justitia resideat. Noli imitari Vultures Togatos, qui cum Civium luctu aliena patrimonia diripiunt, vorant; evertunt, hirudini similes, quæ non dimittit cutim, nisi plena cruoris sit. Absit a Juris-Consulto tam grande nefas. Veruntamen sine, ut cum maximo animi mœrore paulo liberius palam, ac publice dicam, quod sentio. In qualibet arte, ac scientia licet ingenua, licet liberali, ac pene divina hominum vitio semper abusus fuit; est, dicam licet invitus, & erit. Sanctissimæ sint Leges, præclara sint instituta; cum tamen nequam sit hominis ingenium, & in vetitum nitens, nisi recte informentur mores, ac Religione firmentur, semper in qualibet re hinc dolus erit, illinc macchinatio vafra. Unde quidam ad hæc respiciens, forte non illepide dixit; quod cum Deus in pœnam antiqui sceleris humanum genus acerrime conflictare vellet, misere laniandam dedit


ani-

*animam Theologis, vitam Medicis, & bona Causidicis.*


Eo jam deveni, Auditores Ornatissimi, ut expleverim jam eum, quem mihi ipse statueram, cursum. Nunc nihil aliud superest, nisi ut maximas, quas possum, gratias agam, vobis, Sapientissimi Patres, qui me dicentem humanissime sustinistis; ac Tibi præcipue Amplissime Vir, optime Rei Literariæ, ac Politicæ Moderator, & Præses, nostrique Licæi o & præsidium, & dulce decus. Quem cum intueor, illum video, qui citato cursu verum arripuit Immortalitatis iter. Quod instituisti, constanter, ut facis, sequere. Tuo Numine fove Scientias, excita Artes. Sic enim publicæ utilitati non minus, quam Tuæ gloriæ consultum erit. Sunt Literæ, sunt Artes, sunt Poetæ, quorum studio, ac scriptis Virorum Illustrium fama in sempiternam posteritatis memoriam propagatur. Quid de forti Achille esset, si Homerum laudum suarum præconem non invenisset? Inglorium nomen, & sine laude cinis. Veruntamen quid aliorum scripta commemoro, quorum ope non indiges? Tu literis, Tu monumentis non perituris ea consignasti, quæ Tuum ab omni oblivione nomen, atque doctrinam satis valent vindicare. Quare merito Tibi usurpare potes illud Horatii:

*Exegi monumentum ære perennius,  
Quod non imber edax, non Aquilo impotens  
Possit dirruere, aut innumerabilis  
Annorum series, & fuga temporum.  
Non omnis moriar. Volito per ora virum.*












Kp 42 47 II  
S



714





13



# AD LEGEM JULIAM

DE ADULTERIIIS COERCENDIS,  
DEQUE PUDICITIA  
DISPUTATIO INAUGURALIS

HABITA A CLARISSIMO ANTECESSORE

D. PETRO GEORGIO  
DE BIFFIGNANDIS

CUM

IN R. MANTUÆ ATHÆNEO

JOANN  
MARANG


IN JURE LICENTIA  
PRONUNCIARETUR



MANTUÆ, MDCCLX

TYPIS HEREDIS ALBERTI  
REGIO-DUCALIS TYPOGR

( Superiorum Permiss



73

